

tellectum speciei: & de illa est maior vera, & probatio eius de 4. Metaphysica. Alia est diffinitio per aditamentum: vbi, scilicet aliquid additur praeter essentialia diffiniti, & talis est Accidentium: quia enim Accidentia non cognoscuntur complete sine subiecto; & diffinitio datur causa completa cognitionis habenda: ideo non definiuntur sine subiecto: sed quia talis diffinitio aggregat in se aliquid non de essentia diffiniti: ideo plus significat, quam nomen diffiniti: & de tali non est maior vera, nec eius probatio.

Ad quantum dico, quod maior est falsa, quando quod excluditur, comparatur ad reale praedicatum: tunc enim non excluditur, nisi diuersum ab eo respectu praedicati: quia syncategoremata disponunt subiectum in comparatione ad praedicatum: respectu autem praedicati realis non est subiectum diuersum ab accidente concreto: ideo non excluditur: vnde dicitur communiter, quod exclusio non semper excludit aliud secundum essentiam; sed secundum esse: quod maxime est verum respectu realis praedicati.

Ad auctoritates Commentatoris, intelligendum est significare extensiuè pro dare intelligere: quia aliter esset contra riu sibi 5. Metaphysic.

Ad auctoritatem Aristotelis intelligit de homine albo, & huiusmodi, de quibus proposuit dubitationem in principio capituli: illa enim sunt entia secundum accidens, secundum ipsum in 5. Metaphysic.

Contra positionem sic arguitur: si album idem significet, quod albedo: sed sub modo concernentis, vel denominantis: ergo de quo dicitur album, vt de homine; de eius dicitur interpretatio eius scilicet albedo, & concernens: quod non videtur verum.

Hic potest dici: quod illa non est interpretatio albi: quia album tantum significat formam sub vno modo significandi: sed hoc totum, albedo vt concernens: significat formam sub duobus modis oppositis: quia albedo significat formam sub vno modo: & vt concernens, dicit alium oppositum modum. Si autem queratur, quae est interpretatio huius nominis, album: non est possibile dari; nisi per aliquod nomen posset forma ta-

tum significari sub vno modo significandi: quod non est possibile: forte addit hoc modo, vt concernens, &c.

Summa textus.

VM certum sit apud omnes tria in quibus denominatione reperiri, denominans, denominatum, & denominatiuum: denominans est forma per nomen abstractum importata, vt albedo: denominatum est, quod a tali forma denominatur, vt corpus, quod albedine album denominatur: denominatiuum est ipsum concretum importans tam formam, quam subiectum, vt album: & de istis denominatiuis datur praefata diffinitio: circa quam interrogat Subtilis Doctor: an concretum, & abstractum idem significant: v.g. an sicut albedo significat tantum naturam albedinis, sic album significat tantum ipsam albedinem: an etiam subiectum quod album ab albedine denominatur. Partem affirmatiuam probat sex argumentis satis apparentibus; quibus non obstantibus apponit suam conclusionem, dicens.

Nomen concretum non significat proprie subiectum, sed tantum formam: hanc probant omnia argumenta ad oppositum.

Tandem soluit argumeta prius pro eorum solutionibus vnum pulchrum notabile praemittens: de quibus in 2. artic. amplius agemus.

ARTIC. I.

An diffinitio denominatiuum sit bona?

NEGATIVA pars potest suaderi tribus primis argumentis, quibus 5. diffinitio aequiuocorum impugnata fuit: & praeterea suaderet sic: nam haec diffinitio conuenientia diffinitio: ergo non est bona. Antecedens probatur: nam secundum omnes hic tantum diffiniuntur denominatiua accidentaliter: vt etiam docet Doctor super vniuersalia q. 4. de genere ad 2. & in 2. sentent. distinct. 12. q. 1. ad primum: & tamen haec diffinitio conuenit concretis substantialibus: homo enim solo casu differt ab humanitate: imo Doctor locis citatis, & q. 3. 4. & 5. quodlib. & in 3. distinct. 7. q. 1. talia concreta appellat denominatiua; ergo praedicta diffinitio conuenit alijs a diffinito.

Pro intelligentia notandum primo contra Nominales: quod sicut in diffinitionibus vniuocorum, & aequiuocorum, non sunt diffinita nomina vniuocantia proprie, nec aequiuocantia, sed vniuoca vniuocata, & aequiuoca aequiuocata: sic in praesenti non diffiniuntur nomina denominatiua, sed denominatiua: de quorum diffinitione ita philosophandum est, sicut de vniuocorum, & aequiuocorum diffinitionibus diximus.

Secundo notandum: quod sicut denominans proprie apud logicum est idem quod abstractum

Conclus.

1. Not.

2. Not.

apud Metaphysicum; & denominatiuum idem quod concretum, quae nomina apud grammaticum per primitiuum, & derivatiuum explicantur: ita sicut duplex est abstractum per Doctorem locis citatis, aliud a supposito, seu inferiori: aliud a subiecto (de abstracto enim a fundamento de quo Doctor in 1. distinct. 5. q. 1. non est ad rem) exemplum primi, vt humanitas: exemplum secundi, vt albedo: sic duplex est concretum: aliud quod dicit concernentia ad supposita eiusdem naturae, & quidditatis, vt homo: aliud quod dicit concernentiam ad subiectum, seu suppositum alterius naturae, vt album: primum genus concretorum dicitur denominatiuum large: secundum vero stricte, & proprie.

1. Corol. Ex quibus inferitur primo: Omne denominatiuum esse concretum, sed non e contra: nisi denominatiuum large sumatur.

2. Corol. Inferitur secundo: duplicem esse praedicationem denominatiuum: alteram large sumptam, vt homo est animatus: alteram strictam, vt homo est albus.

3. Notand. Tertio notandum: diffinitionem denominatiuum sic communiter explicari: denominatiuum, quae graece paronyma dicuntur, ea sunt, quae ab alijs, scilicet, abstracto, appellatione accipiunt, vt candidum a candore, a quo solo casu, id est syl labarum cadentia, seu terminatione vocabuli, discrepant. Quare inferunt sic glossantes denominatiua in triplici differentia esse: quaedam secundum vocem tantum, vt studiosus, & studium: conueniunt enim in principio dictionis, & differunt in significato: nam studium significat exercitium, & laborem: & studiosus significat virtuosum; quaedam secundum rem tantum: vt studiosus, & virtus: conueniunt enim in significato, & differunt in voce: quaedam tandem secundum rem, & vocem, simul, vt albus, & albedo: & de his, inquit sic glossantes, intelligitur diffinitio tradita. Caeterum hac expositione, quia nimis nominalis videtur, non est contentus subtilissimus Praeceptor: quare q. 4. de genere, & in 2. vt supra, sic hac diffinitione glossat: denominatiua dicuntur quaecumque concreta, quae a suis abstractis solo casu, id est cadentia, seu inclinatione formae ad subiectum, differunt. Vnde casus ibi non solum pro cadentia vocis terminaliter: sed pro significato, & modo significandi, ipsius vocis interpretari debet: album enim, & albedo, non solum differunt in vocum terminatione, sed etiam quia albedo significat naturam albedinis sine concernentia ipsius albedinis ad aliquod subiectum: at vero album significat ipsam concernentiam subiectum, & ita in modo significandi differunt.

1. Conclus. Dicendum primo: diffinitum in hac diffinitione sunt denominatiua accidentaliter: haec est communis inter Reales: & conueniunt ex illa particula ab aliquo appellationem habent: hoc est ab accidentaria, & extranea forma: humanitas enim non significat formam alteri adiacentem, & ita homo non dicitur proprie denominatiuum: nec hic debet diffiniri: quia ad intentum Philosophi nihil facit: igitur, &c.

2. Conclus. Dicendum secundo: diffinitio denominatiuum est bona, & sufficiens: haec a Doctore cum

omnibus supponitur: & patet: tum Aristotelis auctoritate sic denominatiua diffinitis: tum quia per eam, modo a nobis relato, innotescit natura denominatiuum: ergo est sufficiens, & bona ea bonitate, qua supra diffinitiones vniuocorum, & aequiuocorum bonas esse retulimus.

Ad argumeta in oppositum patet: homo enim, licet in terminatione vocis ab humanitate differat, non tamen in cadentia, seu inclinatione formae ad subiectum: non enim significat humanitatem, tanquam formam inhaerentem subiecto: quod ad verum denominatiuum expositur: & ideo dicitur denominatiuum large: & ita intelligendus est Doctor.

Ad argum.

ARTIC. II.

An concretum, & abstractum idem significant?

PRAE CIPVVM intentu huius questionis est Articulus iste, in quo prima sententia multis Antiquis, & Modernis plausibilis parte negatiuam tenetur, quae argumentis in principio questionis adductis roboratur.

Secunda sententia, & affirmans, est Doctoris in praesenti: & in 1. distinct. 4. q. 1. solutione ad 4. littera E. & in 4. distinct. 12. q. 1. littera F. Pro cuius intelligentia notandum primo ex Doctore hic, ad questionem dicendum: quod Accidens dupliciter considerari potest: primo modo praecise, in sua ratione essentiali, secundum quam distinguitur a substantia, & speciale Praedicamentum constituit: & accidenti, vt sic correspondet modus significandi abstractus: alio modo consideratur, quatenus subiectum concernit: & tunc correspondet ei modus significandi concretus: vnde quae ad illud intelligitur, ubique vnum nomen imponitur, vt album, quod non duplici conceptu exprimitur, nec duplici nomine significatur: id est vt homo albus: sed vnico dum taxat, quod hispane dicitur blanco.

Secundo notandum ex eodem ibidem, si verum tamen propter argumenta: quod Accidens, vel potest considerari, pro vt dicit inhaerentiam aptitudinalem, & respectu atque ordinem transcendentalem ad subiectum: est enim ex natura sua forma subiecti, & entis ens: vel pro vt actu adiacet subiecto, & illud informat: primo modo consideratur, vt quaedam essentia est a subiecto essentialiter distincta: & vt sic cum abstractat ab actuali informatione, dicitur abstractum, & ex modo significandi solam formam significat sine informatione, quod per modum per se stantis vocant, ita vt ex modo significandi non det intelligere subiectum: quia tamen, vt sic, abstractum, & secundum suam essentiam, ordinem transcendentem dicit ad subiectum: ideo dat intelligere subiectum ex ipsa re significata: quia, scilicet, res, quam per se significat, dependentiam habet a subiecto: & ideo dicit Aristoteles 7. Metaph. in diffinitione accidentis abstracti ponendum esse subiectum.

1. Sentent.

2. Sentent. Doctoris.

1. Notand.

2. Notand.

Secunda

Secundo modo consideratur, vt actu informans subiectum: & vt sic habet modum significandi concretum; ex vi cuius significat essentiam Accidentis per modum subiecto inherens, & vt sic, non solum dat intelligere subiectum eo modo, quo abstractum (secundum quam considerationem ait Doctor, quod modus significandi concretus non est principium intelligendi subiectum; sed dependentia rei significata a subiecto) sed dat illud intelligere, vt actu est subiectu, cui actu Accidentis inheret, & sic dicitur cointelligi ex vi modi significandi concreti; non tanquam quid intraneum illi intellectui per se, quem scilicet, constituit nomen primo, & principaliter, ex vi suae significationis; sic enim solius Accidentis intellectum constituit: hoc est, ex vi suae significationis, seu imponentis intentione, sicut primo, & per se, solum significat accidens; sic primo, & per se, dat illud intelligere: sed cointelligitur tanquam id, a quo dependet cognitio accidentis.

Conclu.

Dicendum: denominatiuum solum significat formam connotando subiectum, cui talis forma inheret. Haec probant omnia argumenta ad oppositum facta, quae patent in textu.

Regula Scotica.

Ex qua conclusione haec regula deducitur, quam ponit Doctor in primo dist. 4. quaest. 1. in fine. Quando aliquis terminus duo importat, vnum de materiali, & aliud de formali, debet connotari significatum materiale, & significari formale: dummodo non sit aliquis terminus distrahens additus illis: vt in hac: album currit: nam ibi significabitur materiale, & connotatur formale: secus in ista, album distinguitur visum.

ARTIC. III.

An Denominatiua, & Analogae, sint predicata media inter vniuocae, & aequiuocae?

ALIVD esse, praedicatum vniuocum vniuocae praedicari; & aequiuocum aequiuocae etiam praedicari: & aliud esse, praedicatum esse vniuocum, vel aequiuocum, scripsisse ex Doct. in primo dist. 8. quaest. 3. littera P. docuimus. Vnde, licet inter praedicatum vniuocum, & aequiuocum, non mediet denominatiuum; bene tamen inter praedicari vniuocae, vel aequiuocae: quare de Denominatiuis certum est esse media inter vniuocae, & aequiuocae: solum de

2. Sentent.

Analogis superest difficultas: in qua prima sententia est aliquorum asserentium Analogae omnino distingui ab vniuocis, & aequiuocis, ac Denominatiuis: quae quidem sententia sic suaderi potest: tot esse debent Antepredicamentales respectus; quot sunt genera praedicationum, sed praeter praedicationem vniuocam, aequiuocam, & denominatiuam datur analogae praedicatione: vt patet de ente, respectu suorum inferiorum: ergo Analogae constituit specialem respectum antepredicamentalem distinctum ab alijs: ergo sicut non continetur sub illis quoad esse, sic nec quoad praedicari: & e contra: nam praedicari, &

Argum.

esse, mutuo se capiunt.

2. Sentent.

Secunda sententia, & communis apud Thomistas, quos refert Araujo lib. 4. Metaph. quaest. 1. Artic. 3. affirmat, Analogae esse media inter vniuocae, & aequiuocae: ac per consequens sub vniuocis, aut aequiuocis, debere comprehendi: quae sententia, si bene intelligatur, non contradicit nobis: idem pro illius intelligentia, & Analogorum explicatione iuxta Doctoris mentem, notandum primo. Analogum Graece, Latine idem, quod attributum, simile, seu proportionatum, importare: & quamuis Philosophus vratur illo, prout proportionatum significat; alij tamen Auctores illud latius protendant. Cicero lib. de vniuersitate, pro conuenienti illud vsurpat: Alteri illud simile, comparatum, & proprium, appellant: sed nos eo tantum, prout ab attributione, proportionem, seu similitudinem, dicitur; vt emur: in quo sensu, sic notificari potest: Analogum est nomen, quod significat plura inter se habentia proportionem, & attributionem: vt sanum significat animal, vinum, pulsum, & alia medicinalia: quae sana dicuntur: & de hac definitione intelligi possunt ea, quae de definitionibus vniuocorum supra retulimus.

1. Notan.

2. Notan.

Secundo notandum; quod, ommissis multis diuisionibus, quae de Analogis dantur; Analogum est duplex: alterum proprium, & est id, quod est vnum proportionem, seu similitudinem: id est, quod significat plura, quae in aliquo similia sunt, & proportionantur. Vnde si eorum proportio, & similitudo, fundetur tantum in nomine, & non in re; est Analogia aequiuocae: vt homo viuus, & homopictus, ridere in homine, & ridere in pratis, sunt vnum proportionem tantam aequiuocae: non enim similia sunt vno modo in re, sed solum in nominis impositione: at vero si proportio, & similitudo, fundetur aliquo modo in re, est Analogia vniuocae: hoc modo sunt vnum illa, quae eisdem modis funguntur: vt cor, quod in animalibus sanguineis est principium vitae; & illud, quod in sanguine carentibus, est simile cordi, sunt vniuocae Analogae: quia conueniunt a parte rei in hoc quod est esse principium vitae.

Aliud est Analogum attributionis, quod ab Aristotele ab vno, siue ad vnum, appellatur: & hoc modo illa dicuntur vnum, quae ab vno aliquo, ad quod habent attributionem, dependent, huiusmodi sunt omnia sana, quatenus referuntur, & comparantur; ad corporis sanitatem, quae illorum est finis: & sic sanum est vnum Analogice, siue vnum Analogia attributionis: hoc est dicitur sanum est nomen omnibus commune ab vno, & ad vnum.

3. Notan.

Tertio notandum: quod terminus aequiuocus ad placitum est duplex: alter a casu, quando significat aequae plura diuersis conceptibus a casu; id est sine habitudine aliqua reali, aut conuenientia, ex parte significatorum: vt canis. Alter est aequiuocus a consilio, qui plura diuersis conceptibus, vnum per prius, & reliquam per posterius, significat: & talis dicitur aequiuocus Analogus: & potest esse triplex: primus, quando nomen significat vnum proprie, & reliquam transumptiue: sicut ridere significat proprium actum hominis,

minis, & transfunditur ad florere: & hic constituit secundum modum aequiuocorum; vt in Elenchis quaest. 1. asserit Doctor. Secundus, quando vna dictio significat multa ex consignificatione: vt Episcopi, quando est genitiuus numeri singularis, & nominatiuus numeri pluralis. Tertius tandem quando dictio est sic duobus communis, vt vni conueniat eius significatio per se, & alteri per similitudinem ad ipsum: vt caesar de Principe, & eius imagine: & iste modus est similis primo. His & alijs, quae docet Doctor de Analogis in Elenchis, quaest. 15. & 16. suppositis.

1. Conclus.

Dicendum primo, Analogata proportionis, quae a parte rei solum in voce proportionantur, sunt aequiuocae Analogae: probatur: illa sunt aequiuocae, quae a parte rei nullo modo conueniunt, sed tantum in ipsa voce: sed talia Analogata sunt huiusmodi: vt risus hominis, & prati, in hoc nomine, risus ergo sunt aequiuocae, & vnum vnitatem tantum vocis.

2. Conclu.

Dicendum secundum, Tam Analogata proportionis, quae a parte rei habent aliquod vnum, respectu cuius similia dicuntur; quam Analogata attributionis, sunt vniuocae Analogae: ita vt vniuocum praedicatum sit quid superius ad illa, & hoc Metaphysice loquendo: haec statuitur contra Araujo, & alios, quos ipse citat: & quoad primam partem videtur esse Doct. super Porphyrium q. 3. de Genere, & alibi saepe vnitatem proportionis vniuocam appellantis: & probatur, vniuocae Analogae dicuntur, quorum nomen est commune, & ratio substantiae est eadem in illis, secundum simile munus, quo funguntur: sed talia Analogata sunt huiusmodi; vt patet de corde, & membro vitali, in piscibus, in hoc nomine, principio vitae, & etiam in alijs multis: igitur, &c.

Secunda pars est expressa Doct. in 1. dist. 5. quaest. 3. lit. Q. ad secundum, & dist. 8. q. 3. lit. E. ad tertium, & probatur primo: Analogum attributionis est, quando praedicatum praedicatur de vno Analogato per prius, & perfectius, quae de alio: sed haec perfectio, & prioritas praedicationis stat simul cum vniuocatione: ergo. Probo minorem ex 10. Metaph. vbi dicitur: in omni genere dari ordinem essentialem inter species: sed talis ordo essentialis, siue sit prioritatis, siue perfectionis, non tollit, quin genus sit vniuocum speciebus: alias enim genus non praedicaretur in quid de pluribus specie differentibus, sed tantum quodlibet de se ipso, quod est absurdum: ergo attributio, seu prioritas; seu perfectior participatio, non tollit vniuocationem; sed stat simul cum illa.

Secundo, nihil comparatur ad aliud, vt mensurabile ad mensuram perfectionis; nisi in aliquo vno realiter conueniant: homo enim non est perfectior homo, quam asinus, sed perfectus animal, in quo a parte rei comparatur: sed Analogae attributionis comparantur, vt mensurabile ad mensuram; vel vt excessa ad excessum: ergo a parte rei in aliquo conueniunt: patet consequentia: nam sicut comparatio simpliciter fit in simpliciter vniuoco ex 7. Physicorum tex. 24. ita omnis comparatio est in aliquo: igitur, &c.

Nota tamen quod in Analogis attributionis est dari magis, & minus perfectionis: alia enim intrinsece includunt rationem illam communem, in qua analogice vniuocantur; vt sunt entia respectu entis: alia extrinsece quodammodo: vt patet in sanis respectu sani: sanum enim a parte rei quid commune est animali, medicinae, vrinae, dietae, & ambulationi; diuersimode tamen: nam sanitas formaliter solum in animali reperitur: in vrina, vt in signo: in medicina, vt in causa efficiente: in alijs vero, vt in causa vel conseruatiua, vel efficiente: vnde valet esse Analogum attributionis; ergo vniuocum, sed non e contra. Quare Analogae haec sic diuidi possunt: alia, quae dicuntur conceptum in ipsis intrinsece includunt: alia extrinsece tantum.

Not.

3. Conclus.

Dicendum tertio. Licet apud Physicum, & Metaphysicum, detur Analogia: tamen apud Logicum nullatenus datur, sed omnis logicus conceptus, aut est vniuocus, aut aequiuocus: ac per consequens nulla vox apud Logicum significat per prius, aut posterius; nec stat pro famosiore significato: haec quoad primam partem est Doct. sup. q. 4. s. intelligendum tamen est, & q. 15. Elenchorum: & probatur primo auctoritate Arist. qui in hoc libro tanquam Logicus procedens nullam Analogorum mentionem fecit, quam certe faceret, si apud Logicum Analogia esset, aliter enim fuisset diminiatus: ergo, &c.

Secundo, Logicus agit de rebus, prout ab illis abstrahit aliquem conceptum, cui aliquam secundam intentionem vniuocalem applicare possit: ergo si ab illis abstrahit aliquem conceptum, in quo simul conueniunt; talis conceptus erit vniuocus: sin vero, erit aequiuocus, patet: quia Logicus, vt Logicus, non attendit nisi ad rationes communes rerum, in quibus aequae conueniunt, vt illis logicas intentiones applicare valeat aequaliter: vel ad voces, in quibus aequiuocantur: igitur, &c.

Tertio, si talis conceptus Analogus esset a Logico abstrahibilis, necessario esset medius inter conceptum vniuocum, & aequiuocum: sed dari tale conceptum medium est impossibile: igitur. Minor probatur: quia inter vnum, & multa, in rebus nullum medium reperiri potest: sicut sint membra diuidentia imediatem entis in communi: ergo nec in conceptibus logicis: cum a rebus abstrahantur: sed vniuocum, & aequiuocum, opponuntur per significare vnum, & multa: vt ex eorum definitionibus constat: ergo. Tum etiam, quia inter contradictorios conceptus non potest medius dari: sed conceptus vniuocorum, & aequiuocorum, sunt contradictorii: formantur enim ab eodem, vel non eodem: vt patet ex eorum definitionibus: igitur, &c.

Secunda pars probatur: nam si esset possibile vocem significare per prius, aut posterius, aliquid significatum, aut esset ex parte vocis, aut ex parte ipsius imponentis: aut ex parte rerum significatarum: non ex parte vocis: quia vox, in quantum vox est; nullam rem sibi determinat: substantia enim vocis non magis determinatur ad prius significandum hoc, quam illud: nec ex parte imponentis: quia ex quo imponentis imponit ad placitum; potest prius imponere nomen illi, quoad

quod est posterius in re: nec ex parte ipsarum rerum: nam licet res inter se ordinem habeant; nõ tamen sequitur, quod illum habeant ad inuicem prout sunt significabiles; quia illud, quod posterius est, potest prius significari. Alias probationes vide apud Doctorem, de quibus nos ibi.

Tertia pars sequitur ex secunda: nam si vox non significat per prius, aut posterius, nec etiam stabit pro famosiori significato: & ultra: nam terminus æquiuocus Analogus æque primo significat plura ex modo significandi: & si fuerit vniuocus, per se primo significabit. rationem illam cõmunem, in qua inferiora vniuntur: ergo non stabit pro hoc, vel pro illo, Logice loquendo.

Ad argumentum primæ sententiæ nego minorem: nam omnis prædicatio ad vniuocam, vel æquiuocam, reducitur: & ita prædicatio Analogæ vel cadit sub istis Metaphysicè loquendo, vel nulla datur: si Logice loquamur.

Ad argu. 1. Sentent.

QVÆST. IX.

An prima regula sit vera?

Quædo alterum de altero prædicatur, ut de subiecto: quacunque de eo, quod prædicatur, dicuntur, omnia hæc & de subiecto dicuntur, &c. Capit. 3.



VÆRITVR, de veritate huius primæ Regulæ Arist. scilicet, quando alterum de altero prædicatur, ut de subiecto, quidquid prædicatur de prædicato,

prædicatur de subiecto: quod sit falsa videtur: quia animal est prædicatum de homine; & album de animali: ergo album de homine, secundum istam ergo rationem, teneret hæc consequentia: animal est album: ergo homo est albus, & tamen videtur esse fallacia consequentis. Similiter antecedens potest esse verum sine consequente.

Item, secundum hanc regulam sequeretur: substantia est generalissimum: igitur animal est generalissimum.

Item, si quidquid prædicatur de prædicato, prædicatur de subiecto, sed prædicatum prædicatur de prædicato: quia prædicatum est prædicatum: igitur prædicatum prædicatur de subiecto: igitur subiectum est prædicatum.

Ad oppositum est Aristoteles.

Ad quæstionem dicendum, quod Regula est vera, quando illa tria sumuntur in eodem genere essentialiter ordinata: quidquid prædicatur essentialiter, sicut hic sumitur prædicari; de prædicato, essentialiter prædicatur de subiecto. Cum hoc etiam intelligenda est Regula, quando prædicatum intermedium non variatur in comparatione ad prædicatum de ipso, & ad subiectum, de quo prædicatur: per primam conditionem soluitur duo prima argumenta: quia album, & generalissimum, non prædicantur de animali & substantia essentialiter. Similiter secundum fallit penes variationem prædicati intermedij: quia sic arguendo, ut ibi, est fallacia accidentis.

Ad tertium dicitur: quod Regula debet intelligi de prædicari signato in intentionibus: in fundamentis de prædicari exercito: arguitur autem in intentionibus cum esse, per quod exercetur prædicatio: idè non tenet.

Contra hoc: secundum omnes conditiones istas, hæc consequentia: animal est substantia: igitur homo est substantia: esset bona: quia hic sumuntur tria essentialiter ordinata in eodem genere; nec variatur prædicatum intermedium: & arguitur in primis intentionibus de prædicari exercito: sed ista consequentia non valet: igitur omnes prædictæ conditiones non saluant veritatem Regulæ: probatio minoris: quia sequitur: Almus est substantia: ergo animal est substantia, & non sequitur: igitur homo est substantia: igitur ista, homo est substantia: est antecedens non conuertibile istis: animal est substantia: igitur e conuersio arguendo, est fallacia consequentis a positione consequentis, & a propositione habente plures causas veritatis ad vnam illarum.

Item, nulla consequentia tenet nisi in virtute Syllogismi: sed si hæc reducatur in syllogismum: cum homo, & substantia, faciant conclusionem; erunt extrema, & animal medium: facto igitur antecedente prius, nunc maiore; erit syllogismus in prima figura habens maiorem particularem, quæ non valet in quibuscumque terminis: quia forma arguendi in omnibus est

est eadem: igitur nec consequentia prius valet.

Item, forma arguendi eadem est in essentialibus prædicatis, & non essentialibus: quia consequentia tenet ex significatione propositionum; sicut & syllogismus: per hanc autem: animal est substantia: non significatur maior identitas extremorum; quam per hanc: animal est album: igitur ex significatione sermonis non plus significatur, prædicatum vnum esse idem homini, quam aliud.

Si dicatur, quod esse est vnico extremorum: & idè talem vnionem dicit, qualis debetur extremis: & ita maior identitas significatur hic: animal est substantia: quam hic, animal est album.

Hoc non videtur esse verum: quia tunc omnis propositio de inesse simpliciter significaret se esse talem: & omnis propositio de inesse, ut nunc, significaret se esse de inesse, ut nunc; & ita exponendo esset nugatio, ut hic: homo ut nunc est albus: & hic esset repugnantia intellectuum: homo simpliciter est albus vel necessario: quod non videtur probabile. Similiter hic esset nugatio: homo necessario est animal, vel semper est animal: & hic esset repugnantia intellectuum: homo, ut nunc, est animal, est hoc: igitur, oppositum vnum diminueret alterum: & ita in hac consequentia: homo, ut nunc, est animal: igitur homo est animal: esset fallacia secundum quid, & simpliciter, & hic similiter: animal necessario est album: igitur animal est album: & ita ad illam de necessario, non sequeretur illa de inesse in omnibus terminis. Quod consequentia non valeat, animal necessario est album: igitur animal est album: patet per Aristot. secundo Perihermenias: quia quando est oppositio in adiecto; non tenet a coniectis ad diuisa. Similiter si valet: ergo consequens non ponit intellectum oppositum antecedenti.

Cap. 2.

Propter tres rationes principales potest dici: quod non sequitur formaliter, animal est substantia: igitur homo est substantia: sicut nec sequitur: substantia est alba: igitur animal: quia ex significatione sermonis utrobique antecedens eodem modo se habet ad consequens.

Sed ad quæstionem tunc est dicendum, quod Regula est vera: quia per se

datur de secundis intentionibus, sicut Logicus debet loqui: & sumendo prædicari proprie; quod est præ alio dicitur: tunc tantum, & non plus, significatur per Regulam, quod est prius priore, est prius posteriore: vel quod est superius superiore, est superius inferiore: cuius veritas nulli dubia est: & ita conuenienter ponitur ut Regula: quia eius veritas omnibus est nota. Si autem dicatur, quod Aristot. exemplificat de rebus primæ intentionis, quomodo igitur arguendum est in illis secundum hanc Regulam?

Dico, quod Aristot. sic exemplificat, ut homo de quodam homine prædicatur: animal vero de homine: ergo, & de quodam homine: vbi significatur, animal essentialiter prædicari de homine: si autem debeat exerceri ista prædicatio cum hoc verbo, est, oportet, ad arguendum secundum Regulam, modificare compositionem per aliquid, quod notet prædicatum prædicari de subiecto: sicut hic sumitur prædicari: & tunc sic est arguendum, homo per se primo modo est animal: quidam homo per se primo modo est homo, vel essentialiter: igitur quidam homo per se est animal. Si autem absolute arguatur: animal est substantia: igitur homo, nihil exprimitur in antecedente, quod nominet ibi virtutem huius Regulæ: quia per esse absolute nõ significatur prædicatum prædicari; id est, esse subiecto prius, vel superius ipso.

Si autem dicatur, quod Aristot. sumit absolute compositionem dicendo sic, quidam enim homo: & homo est, & animal est.

Dico, quod intelligit per se: quia sic expressit prius in secundis intentionibus: animal prædicatur de homine: unde sequens est intelligendum sicut præcedens.

Ad duo argumenta contra responsionem patet.

Ad tertium dico, quod respectu subiecti prædicatum est prædicatum tantum prædicatione signata: sed prædicatum respectu prædicati est prædicatum prædicatione exercita tantum. Regula autem est intelligenda vtraque prædicatione vniuersimter sumpta.

Si arguatur, hæc tenet: animal prædicatur de homine: vbi est prædicatio signata: & quidam homo per se est homo:

V 2 ubi